



**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum VII. Relatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](#)

## Ne Clerici, vel Monachis negotijs sacerularibus &c. 559

tiones observentur, quæ requiruntur, ut monasterium obligetur.

¶ Norandum tertio. Prohiberi denique in hoc cap. ne Laici ad firmam teneant Ecclesiastas, sibi, ut conductoribus elocatas, obventiones v. g. illarum Ecclesiarum, decimas, oblationes conducendo, ne videantur habere administrationem Ecclesiarum, aut ullam jus de bonis Ecclesiae disponendi, ut ait *Gloss. fin. in hoc cap.*, quamvis enim commoditas fructuum Ecclesie temporalium, ac decimarum colligendarum, Laicis concedi possit, nullum tamen jus illis concedi posse ad talia Ecclesiastica, ex titulo de rebus Eccl. non alien. jam patet.

### CAPITULUM VII.

#### Relatum.

##### P A R A P H R A S I S.

Mandat Alexander III. ex Concil. Lateran. Episcopo Londonensi, ut cum ad ipsum certis nuntijs delatum sit, quod Monachi certi cujusdam Ordinis, sacerulatiter nimium viventes, alios suo exemplo corruptant; ad observationem regularem, posthabita onus appellatione compellat; vel si ausu temerario pijs illius conatus resistant, & obedire nolint, ejecctis illis, alios, alterius etiam Ordinis fratres inducat, si non possit per sui Ordinis fratres dictum monasterium resorvari, ut illi tandem rubore perfusi ad sui Ordinis obseruantiam revertantur. Quæ circa hunc clarum textum, & Pontificiam decisionem annotari possunt, possunt videti in tit. 32. & tit. 36, b. lib.

### CAPITULUM VIII.

#### Sicut te.

##### P A R A P H R A S I S.

Mandat in hoc cap. Innocentius III. Esculano Episcopo, ut Clericis in sacris Ordinibus constitutis (quod sine dubio et-

iam de Religiosis intelligi debet, juxta cap. ut officium 11. §. verum. de Hæreticis in sexto.) per beneficiorum subtractionem, postpositâ appellatione, interdicat, ne exerceant Tabellionatus, sive Notariatus officium.

##### S U M M A R I U M.

1. Prohibetur Clericis (in sacris) & Religiosis exercere officium Tabellionis, sive Notarii.
2. Saltem in Tribunalibus Laicis, & causis sacerularibus.
3. Instrumenta tamen à Clericis Notariis confecta valent, si officium Notarii privatim tantum illis interdictum fuit.

Norandum primò. Prohiberi hoc officium Clericis in sacris constitutis, & Religiosis, quia periculum est, ne in criminalibus, ubi de vita & sanguine agitur, cum periculo incurrandæ irregularitatis, se ex officio immisceant; & quia hoc officium est genus quoddam negotiationis, Clericos in sacris constitutos dedecens, si beneficium competens habeant, vel ex patrimonialibus suis convenientem sustentationem: & tamen sint tantum in minoribus constituti, non possunt prohiberi (abstrahendo saltem à criminalibus, ubi de vita & membris agitur) à Notariatus officio, cùm honesta officia, & aliquam negotiationem exercere ad vitam sustentandam in prioribus jam concessum sit: & de his non videtur loqui hoc cap. cùm pœna cap. hujus, subtractione scilicet beneficiorum respectu horum, si non sint beneficiati, locum non habeant. Conceditur tamen etiam, ut Notarij officium exerceat Clericus beneficiatus in sacris constitutus, in causis Hæreticis, ob favorem scilicet Fidei; in curia Romana, & apud Pontificem; & ubi consuetudo habet, ut Clerici etiam in sacris constituti, etiam si beneficium habeant, Notarij tamen officium exerceant in causis Ecclesiasticis: ita ut merito videri possit hic Canon tantum